



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Pars Prima, Varias Instructiones continens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

I

MANVALIS
EXORCISMORVM
PARS PRIMA,

varias INSTRUCTIONES continens.

INSTRUCTIO I.

De requisitis in Exorcista, & de debitis præparationibus ante exorcizationem.



QUI VMOVE desiderat, habitâ licentiâ à Superiore, facile & sine periculo suæ & aliorum salutis, opus exorcizationis (maximi meriti & misericordiæ) exercere, debet cogitare se habere negotium cum antiquo & astuto hoste, forti & nequissimo: aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in caelestibus. Agnoscat itaque propriam infirmitatem, & assumet arma spiritualia, quæ D. Paulus subministrat ad Ephes. 6. & 1. ad Theff. 5. & D. Petrus 1. cap. 5.

Prima & præcipua armatura quam habere debet Exorcista, est viua & indubitata fides cum fiducia in Deum & Salvatorem
A nostrum

2 MANVALIS EXORCISMORVM
nostrum Iesum Christum: in Dei enim di-
gito eijciet dæmonia, & conculcabit leo-
nem & draconem.

Et licet Exorcista operetur in persona Ec-
clesiæ, & eatenus eius preces sint gratæ Deo,
& exaudiantur; nihilominus tamen debet
allaborare vt habeat purissimam conscien-
tiam, emundatam per veram contritionem
& Sacramentalem confessionem: tum vt
tantò sit gratior Deo, faciliusque impetret
quod petit; tum ne diabolus eum confun-
dat, aut aliquam in eum potestatem habeat,
cùm notum sit ex Scripturis, quantam &
quàm magnam habeat vexandi & nocendi
vim contra peccatores.

Necessariò etiam debet habere veram
humilitatem, certò sciens se solùm instru-
mentum indignum esse quo vtitur Deus
pro salute proximi afflicti: & nihil se posse
absque eius singulari assistentia & auxilio.
Per hanc excludet omnem vanam gloriam,
nec quæret laudari aut videri ab homini-
bus; sed gaudebit in augmento gloriæ Dei,
& attendet dictum Saluatoris dicentis A-
postolis: Verumtamen in hoc nolite gaude-
re quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete
autem quòd nomina vestra scripta sunt in
cælis. Hæc debet esse eius principalis inten-
tio, non autem lucrum aliquod temporale,
vel

Luc. x. o.

vel similis respectus sordidus. maximè autem caueat, ne superbiat de potestate sua in dæmones: narrat enim S. Gregorius lib. 1. cap. 9. Dialogorum, quemdam Presbyterum à dæmone fuisse possessum, quia arrogabat sibi virtutem eiiciendi dæmones.

Reuocabit mentem & spiritum à curis & negotiis secularibus, eamque pacatam & tranquillam reddere studebit meditationibus piis & precibus.

Et quoniam Saluator noster nos docet Matth. 17. hoc genus dæmoniorum non eiici nisi per orationem & ieiunium, hæc & alia sub iisdem comprehensa opera bona, pro se & suis afflictis impigrè exercebit: & numquam ad exorcizandum accedet, nisi præuio ieiunio, vel aliis pœnitentiæ & satisfactoriis operibus, nisi præsens necessitas aliud videatur exigere. Incessanter orabit etiam priuatim, aliosque ad prædicta bona opera & pietatis exercitia inuitabit, elemosynasque elargiri curabit.

His & aliis virtutum armis instructus, intrepidè & securè accedet debellaturus hostem communem. Cauebit Exorcista omnis, alias preces & carimonias, quantumcumque piæ & bonæ appareant, quàm quæ in approbato Manuali præscribuntur, adhibere, nisi obtentâ veniâ & consulto Ordinario,

4 MANVALIS EXORCISMORVM
nario, memor exempli filiorum Sceuæ Iu-
dæi Act. 19. qui malè & infeliciter hac po-
testate abusi fuerunt.

Non temerè aut facilè Exorcista iudica-
bit vexatum aliquem, etiamsi miris & extra-
ordinariis, vt ipsi apparebit, modis vexetur,
esse energumenum aut maleficiatum: sed
negorium seriò perpendet ex signis & indi-
ciis, de quibus infrà; omnesque circumstan-
tias prudenter obseruabit. Multò minùs
morbos tam hominum quàm animalium,
etiam insolitos, & ipsi incognitos, aut dama-
na frugibus & aliis bonis externis obuenien-
tia, statim incantationibus aut maleficiis at-
tribuet; nec afflictos hoc opinantes in illa
mox opinione relinquet aut confirmabit;
aut afflictorum huiusmodi vicinis aut aliis
notis vel ignotis imputabit, aut imputari
permittet: sed omnem sinistra opinionem
aut suspicionem contra proximũ, ab eorum
animis amouebit; vt hac ratione tollat &
auertat rixas, inimicitias, odia, & his peiora.

INSTRUCTIO II.

*De variis signis & effectibus, ex quibus quis
dignoscitur demoniacus vel maleficiatus.*

QUONIAM multa signa obsessorum &
maleficatorum, sunt communia cum
morbis & infirmitatibus naturalibus; quia
demon

demon vt creaturas Dei in odium traducat, vel vt facilius ipse lateat, sepe miscet se morbis naturalibus, non statim Exorcista suo iudicio, vel ipsorum afflictorū dictis credet, vel iudicabit aliquem esse obsessum aut maleficiatum: sed circumspiciet & perpendet singula prudenter; suumque habebit recursum ad peritos Medicos & Theologos. Si deprehendat malum causari ab humoribus peccantibus, & omnino esse naturale, ostendet & persuadebit id ipsum afflicto, illumque ad Medicos remittet.

In examine & disquisitione vtrum quis sit obsessus à dæmone corporaliter, iuuabit inquirere causam quare diabolus putetur ingressus: quæ licet aliquando sit solius Dei gloria, & affligentis meriti augmentum; ordinariè tamen in causa sunt peccata, sæpissimè desperatio ex amissione bonorum vel rerum temporalium, vel nimia familiaritas cum dæmone, vel cum hominibus qui cum eodem commercium habent: etiam nimis addictum esse superstitionibus; aliquando mala imprecatio parentum, aut ignoratio earum rerum quibus contra tentationes dæmonum munimur: interdum nimia anxietas vel scrupulositas, per quam ad varias perturbationes miseri homines rediguntur, nisi tempestiuè consulant peritos

6 MANVALIS EXORCISMORVM

Confessarios; prout etiam euenit tentatis aliis variis tentationibus.

Secundò inquireret Exorcista de modo, quomodo putetur ingressus. Solent aliquādo dæmones, antequam corpora ingrediantur, hominibus apparere in aliqua terribili forma, idque de nocte, vel in locis opacis & solitarijs: aliquando somnia horribilia dormientibus immittunt, illosque terrent: quandoque ingrediendo corpora miserabiliter dilacerant. Ingrediuntur aliquando per modum venti, aut in forma muris aut similis animalculi: aliquando videtur quòd quasi vas aquæ frigidissimæ in dorsum effundatur, vel per totum corpus à capite vsque ad pedes aliquid discurrat.

Sed quia in multis hominibus, præsertim feminis, magnam vim habet imaginatio & variæ apprehensiones phantasticæ, quæ mira sæpè operantur in corporibus; his prædictis, & similibus non ita insistet vel semper credet Exorcista, quin alia verisimilia signa requireret concurrentia cum prædictis; qualia quædam ex sacra Scriptura & alijs probatis Auctoribus hîc adiunguntur.

Ex Scriptura sacra patet, aliquos energumenos indies reddi obstinatiores contra Deum, & in ijs quæ ad Dei seruitium spectant, magisque inobedientes, exemplo Saulis

lis

lis 1. Reg. 18. aliquando etiam variis morbis subito afficiuntur, Matth. 8. & 17. Marc. 9. Lucæ 11. strident dentibus; in terram extraordinariè elisi volutantur, & variè affliguntur; spumant ore, ad necem sibi inferendam tentantur; in ignem & aquam aliquando proiciuntur, prout hæc patent ex diuersis Scripturæ locis. Aliquando etiam ad tempus in furorem aguntur, Act. 19. Prætereà obseruabit Exorcista, vtrum vexatus in præsentia rerum sacrarum, vt Crucifixi, Reliquiarum, &c. imò & ipsius Exorcistæ, verè & non fictè turbetur. poterit autem magis præsumi verè turbari, si ignoret præsentiam Reliquiarum vel aliarum rerum sacrarum. Solent etiam omnia spiritalia odio habere. Ecclesiam ingredi nolunt; vel si ingrediantur, statim inde fugiunt. Aqua benedicta vti recusant. Sanctorum imagines, præsertim Crucifixi, aspicere aut deosculari nolunt. Verba sacra nequeunt proferre, nec audire volunt. Si cogantur aliquam cærimoniam Ecclesiæ peragere, vel diuinis interesse officiis, potissimum sanctissimo Missæ Sacrificio, vehementiùs vexantur: & quâdo mentis compotes sunt, optât & fatentur se velle hæc facere, & Sacris interesse, & sacrarum rerum auxilium desiderare; sed esse quippiam in ipsis quod ipsos impediat.

§ MANVALIS EXORCISMORVM

Licet etiam indicium sumere ex oculis & vultu, quos ordinariè habent solito terribiliores. Ex fermocinatione, Si blasphement contra Deum & Sanctos; si conuitiis proximos sine causa proscindant, aliaque absurda præter solitum proferant; maximè si loquantur idiomatibus extraneis, quæ numquam didicerunt vel sciuerunt, aut alios sic loquentes intelligant; si norunt loqui & tractare subtilissimè de profundissimis nostræ Fidei mysteriis, sacras Scripturas interpretari, &c. Si renuntient occulta, aut iam pridem oblita, futura, occulta vel arcana conscientia, vt peccata occulta imaginatio- nesque assistentium; si artes quas numquam didicerunt vel exercuerunt norint. Aliquando etiam econtrà redduntur planè stupidi & insensati.

Non rarò etiam dæmon in aliqua parte corporis palpitando sicut piscis aut formica aut alia forma sentitur. Interdum ipsi afflicti sentiunt per totum corpus inter carnem & pellem discurrentes tamquam formicas. Aliquibus totum corpus quasi continuis acubus pungitur; vel velut flatus à capite ad pedes descendit, & iterùm ascendit. Interdum vesicula in lingua excitatur, quæ confestim disparet, vel plures apparent similes minutis granis. Quibusdam ad gulam dia-
bolus

bolus ascendit, & eam extraordinariè tumefacit, & siccam tussiculam excitat, vel linguam extorquet miris modis; vel eandem exerit ingenti oris hiatu. In aliis diuerforum animalium voces imitatur: aliaque quàm plurima signa facit in corporibus obsessis, quæ facile aduertet prudens Exorcista; illumque reddent moraliter certum de veritate rei, præsertim si plura signa simul concurrant.

Maior est difficultas in quibusdam obsessis, in quibus dæmones sub specie diuersarum infirmitatum solent ita latere, vt difficulter discerni queat, vtrum quis sit obsessus, nec ne. In huiusmodi perplexitate & dubio recurret Exorcista ad Deum per preces; ieiuniisque & aliis piis operibus munitus, per exorcismos conabitur spiritibus immundis latentibus vires resistendi auferre. Ad quod conferet, si afflictus etiam ex toto corde se conuertat ad Deum, frequenter confiteatur, & sacram Communionem deuotè suscipiat, & eleëmofynis dandis & aliis piis operibus studeat Exorcistæ opus promouere.

*Ex eruditorum quorundam sententia alia de
ijsdem signis & effectibus* INSTRUCTIO.

SIGNA quibus obsessi dignoscuntur, sunt in triplici genere: quædam pariunt solum suspensionem, alia coniecturam vehementiorem, alia deniq; certitudinem nonnullam.

Primi generis sunt, 1. Mutatio subita in mores ferinos & agrestes. 2. Somnus grauis. 3. Se consecrasse dæmoni. 4. Inuocatio diaboli vt se arripiat. 5. Furia. Fallunt sæpè eiusmodi signa; aliquod tamen indicium faciunt accedentibus aliis, & dant occasionem inquirendi de aliis.

Secundi generis sunt, 1. Barbaræ & insolite vociferationes & ululatus belluini. 2. Horribilis & truculentus vultus. 3. Stupor membrorum, & omnium ferè vitalium operationum priuatio. 4. Ingens inquietudo, adeò vt vno loco nequeat afflictus consistere, sed solitudines quærat, & desertis locis oblectetur. 5. Vires in corpore humano facultatem hominis excedentes. 6. Si variè torqueatur & deiciatur, nunc in ignem, nunc in aquam, nunc ex alto præcipitetur, nunc se cultris laceret, nunc laqueo vel alio modo sibi vitam adimere tentet.

Tertij generis sunt, 1. Peregrinarum linguarum

guarum subitanea scientia extra suspicio-
nem diuini miraculi. idem iudicium de
scientia legendi, scribendi, cantandi arti-
ficiosè. 2. Si loquantur de rebus sublimibus
quas non didicerunt. 3. Si secreta reuelent
quæ scire non potuerunt homines sed dæ-
mones, vt sunt occulta peccata: aut referūt
quædam quæ locis distantibus fiunt. Vt ta-
men hoc signum certum sit, debet abesse
suspicio pacti cum dæmone, quale habent
diuinatores, qui similia produnt, & tamen
possessi non sunt. 4. Si postquam cessant
vexari, nesciant respondere de his occultis
de quibus locuti sunt: signum enim est, non
tam ipsos quàm dæmones per ipsos fuisse lo-
cutos. 5. Si omnino prohiberi nequeant
ne loquantur. 6. Si iussi inuocare Dei no-
men, nomen I E S V, aut alicuius Sancti, id
facere nequeant: si recitare non possunt
Psalmum aut Orationem aliquam deuo-
tam: si concutiantur, terreantur, impatien-
tes fiant, blasphement adhibitis Reliquijs
Sanctorum, aut Agno Dei, cereo benedi-
cto, Cruce fronti impressa, aspersi Aqua be-
nedicta, adhibita sacra Eucharistia, aut in
aurem pronuntiato versiculo illo Cantici
Moyfi: Deum qui te genuit dereliquisti, &
oblitus es Domini creatoris tui. si exorci-
smos non ferant, si ad ingressum Ecclesiæ
tumul-

tumul-

12 MANVALIS EXORCISMORVM
tumultuentur: denique si Euangelium au-
dire, diuinis interesse vix cogi possint.

INSTRUCTIO III.

*De signis & effectibus maleficij, & quomo-
do discerni possint maleficia ab aliis natu-
ralibus morbis.*

PRÆTER ea quæ dicta sunt superiori
Instructione, quæ huic etiam quæstioni
ex parte deseruiunt, obseruabit curam ani-
marum habens, vel Exorcista, maiorem esse
incertitudinem signorum maleficij quàm
possessionis aut obsessionis: proinde cautè
& circumspectè in hoc negotio procedet, ne
cadat in varia inconuenientia præcipitanti
suo iudicio (de quibus latius in Instructio-
ne I.) nec facilè de huiusmodi malis abso-
lutè aliquid statuet sine præuio cõsilio Me-
dicorum: verùm, quia experientia docet,
plerosque Medicos ferè omnia mala & ac-
cidentia hominibus obuientia attribuere
noxiiis dispositionibus corporum, & rarissi-
mè iudicare aliquem veneficio diabolico
infectum, Exorcista non semper ita absolu-
tè stabit iudicio Medici; quin etiam ex si-
gnis & indiciis infrà positis, & aliis variis cir-
cumstantiis, prudenter iudicabit de huius-
modi malis, consultis in grauioribus peri-
tiori-

tioribus Theologis in hoc genere versatis. Et si omnibus consideratis videat ex maleficio morbum ortum habere, quantum in ipso erit, iuuare & alleuamen afflicto conferre conabitur per vsitata Ecclesiæ remedia: de quibus in III. Parte huius Manualis.

Signa præcipua veri maleficij sunt hæc:

Primò, Si periti Medici non cognoscunt morbum vel malum quo afflictus laborat, nec aliquid certi de illo norint vel possint iudicare, nec remedia conuenientia adhibere, vel si adhibita videantur non solum non prodesse, sed potiùs malum augere.

Secundò, Quòd morbus sit valde inconstans, & licet periodorum naturam referat, rarò tamen periodos seruet, & licet similis videatur naturalibus morbis, in multis tamen discrepet, vtpote quòd instar naturalium morborum non crescat paulatim, sed statim ab initio, nullis præexistentibus peccantibus humoribus, cum grauissimis symptomatibus & doloribus prodeat: quòd ægrotans grauissimè doleat, in qua tamen parte doleat, referre nequeat: quòd sæpè emittat luctuosa suspiria absque manifesta causa.

Tertiò, solent prætereà veneficio læsi habere oculos constrictos, totam cutem, præcipuè faciem, vt plurimum flauo seu cinereo

nerco

14 MANVALIS EXORCISMORVM
nereo colore suffusam, humores desiccatos,
& totius corporis extenuationem & extra-
ordinariam maciem, virium imbecillita-
tem cum summo languore. Omnia mem-
bra videntur habere ligata & constricta,
præsertim cor & os: videntur sibi habere
bolum in orificio stomachi, vel aliquid in-
star boli videtur in guttur ascendere & de-
scēdere. Extraordinarias instar acuum pun-
cturas sentiunt in corde, vel aliis partibus
corporis. Aliquando cor illis quasi corrodi-
tur, & renes dilacerantur.

Quartò, Solet instar venti frigidissimi,
vel etiam flammæ, per ventrem aliquibus
discurrere cum torsionibus acerbissimis.

Quintò, Solent aliqui ad venerem reddi
impotentes præter naturam.

Sextò, Maleficiati vt plurimum præter
naturam toto corpore extraordinarie exte-
nuantur & debilitantur cum summo lan-
guore, & mentis stupiditate, & variis me-
lancholicis deliriis. Laborant etiam diuersis
februm generibus, Medicis multum nego-
tii exhibentibus: habent conuulsiones ita
vt epileptici videantur. Aliquando omnes
capitis partes tumescunt, aut talem circa to-
tum corpus sentiunt lassitudinem, vt vix se
mouere possint.

Septimò, Veneficio affecti, sæpè faciem
Sacer-

Sacerdotis vix aspicere valent, oculis saltem intentis, & album oculorum variis modis illis immutatur.

Prudenter & discretè Exorcista desumet indicium veneficij ex signo quod quidam tradunt; nimirum quòd quando venefica ad visendum ægrotum accedat, statim infirmum ingenti molestia affici, terrore & tremore corripì: si puer sit, statim plorare; oculòsve ad fuscum colorem mutare, vel alias mutationes notabiles in ægrotis obseruari. Si quando illa signa aduertit, cauebit illa indicare parentibus aut amicis, vel aliis assistentibus, ne hinc det occasionem scandali malæ suspitionis, rixæ, odij, aut aliorum incommodorum: ipse autem pro discretione sua illis vti poterit in suum bonum finem.

Licet præter prædicta signa sumpta ab effectu, & alia considerare sumenda à causa morbi vel mali inflicti; vt si morbus vel malum cœperit ex intentissimo alicuius amore, vel magno & iniquo odio: si præcedentibus maledictis vel minis alicuius suspecti de maleficio, subito oriatur; si instrumenta maleficij inueniantur.

Aduertat autem Exorcista, non fore necessarium vt omnia hæc signa in ægro inueniantur, sed sufficere si aliqua pro diuersitate

te

16 MANVALIS EXORCISMORVM
te morbi seu maleficij concurrant, quæ
moralem aliquam certitudinem, vel ma-
gnam probabilitatem dant. Maximè atten-
det ad iudicium Medicorum, qui licet ab-
solutè non iudicent malum esse à maleficio;
si tamen de eo dubitent, hæsitent, & ambi-
gui huc illuc animo agitentur, nec quid-
quam certi de illo norint vel audeant pro-
ferre; in remedijs applicandis varient, & ni-
hil solaminis adferant: signum erit esse ve-
neficium operâ dæmonum illatum, modò
saltem concurrant alia signa superius po-
sita.

Licet Exorcistæ foret moraliter certum,
aliquem morbū esse à maleficio, vel quem-
piam esse obsessum, non ideò debet reiicere
medicamenta naturalia, vel illa dissuadere;
sed dando primas spiritualibus remedijs,
procurabit etiam vt afflictus subinde ex
præscripto Medici vtatur huiusmodi medi-
cinis, quæ corpus eius possunt reddere mi-
nùs aptum vexationibus dæmonum: nam
licet nulla sit naturalis rei corporeæ vis quæ
dæmoni possit præualere, aut directè in il-
lum aliquid agere, teste sacrâ Scripturâ
Iob 41. indirectè tamen & mediatè natura-
lia possunt iuuare contra eius conatus, im-
pediendo vel auferendo dispositiones illas
quibus dæmon delectatur vel vtitur ad no-
cumen-

cumentum, iuxta Lyran. in 1. Reg. 16. Huiusmodi tamen remediis naturalibus nullo modo se intromiscebit Exorcista, sed illa committet peritis Medicis. sed bonum erit, ut antequam applicentur vel sumantur, prius benedicantur ab Exorcista vel alio Sacerdote, iuxta illud Adriani Papæ I. Elementa quoq; tam ea quæ prædiximus, quàm cetera diuinis apta vsibus, & humanis necessaria infirmitatibus sacrate, infirmos curate, & cetera quæ ad vos pertinent diligenter perficite.

INSTRVCTIO IV.

A quibus Exorcista in adiuratione debeat abstinere: ubi etiam agitur de interrogationibus faciendis vel non faciendis.

IN applicatione Reliquiarum & aliarum rerum sacrarum, maximè Venerabilis Sacramenti, obsessis aut infestatis à dæmone, Exorcista adhibebit debitam reuerentiam, & circumspectionem, ne aliqua irreuerentia committatur. Cauebit etiam tam ipse Exorcista quàm afflicti, ne admisceant superstitiones, vel supersticiosè illis abutantur, vel ne maiorem rebus sacratis tribuant efficaciam quàm mater Ecclesia similibus tribuendam docet: vel ne aliquid faciant

B

vnde

18 MANVALIS EXORCISMORVM
vnde diabolus possit fumere occasionem
introducendi in animos circumstantium
errorem circa venerationem Sanctorum,
Reliquiarum, & aliarum rerum sacrarum,
vel imminutionem reuerentiæ & honoris
debiti. Non nisi certis & ab Ordinario ap-
probatis vtetur Reliquiis.

Ipsam Venerabile Sacramentum Eucha-
ristiæ rariùs actu applicabit obsessis, & non
nisi exigente necessitate vel euidenti vtilita-
te; & tunc non nisi cum maxima reueren-
tia & deuotione, adhibitis luminaribus &
sonitu campanulæ, & aliis circa tantum Sa-
cramentum exhiberi solitis.

Tutius erit solùm exponere dictum Sa-
cramentum in altari, & coràm inferiùs an-
te altare obsessos exorcizare.

Abstinebit Exorcista à curiosis, leuibus,
& superfluis actionibus & interrogationi-
bus, solumque ea aget & interrogabit, quæ
putabit necessaria vel multùm expedientia
ad iuuandum afflictum, vel ad repellendum
nocumentum à se vel à circumstantibus,
vel quæ prudenter iudicabit cessura in aug-
mentum gloriæ Dei, & proximorum salu-
tem. Poterit itaque inquirere ex parte Dei,
vtrum sint multi dæmones, vel pauci: vel
quot sint in corpore obsessio: ob quam cau-
sam fuerint ingressi, vt contrarium reme-
dium

dium applicetur: si sint ibidem ex aliquo pacto vel maleficio: si aliquod signum maleficij vel pacti sit datum, vel alibi positum: & similia, quæ prudens Exorcista vel ex discretione sua, vel aliorum peritorum consilio, iudicabit expedire. Postquam aliquam interrogationem instituerit, non facile desistet, etiam si dæmon recuset respondere, sed prosequetur legitimis exorcismis extorquere (si Deo placuerit) obedientiam, ne reddatur proteruior contra ministrum Christi spiritus malignus. Nec putabit Exorcista in vocis contentione aut passionum vel affectuum suorum excitatione vim exorcismi consistere, quibus aliqui frustra se fatigant, cum in excitatione fidei, spei, charitatis & deuotionis in Deum præcipue sit elaborandum.

Si quando Exorcista utetur vel applicabit afflicto aliqua verba sacra, vel ipsam Scripturam sacram, vel Euangeliorum librum, obseruabit ea quæ habentur infra Instruct. 6. & habebit dumtaxat respectum ad ipsa verba sacra & eorum intellectum, & effectum expectabit à Deo auctore & dictatore eorum. Similiter in inuocatione Sanctorum, adhibebit illos & inuocabit tamquam intercessores & patronos nostros, cum fiducia, quod Deus per intercessionem ipsorum ipsum exaudiet & concedet postulata.

INSTRVCTIO V.

*De loco & tempore quibus energumeni
sunt exorcizandi.*

EXORCIZATIO semper vel ordinariè fiat in Ecclesia, vel alio loco Deo sacro: nisi grauis & vrgens causa dicter in domo priuata faciendam.

Arceantur pueri & mulieres, nisi quæ necessariae pro adiutorio & seruitio feminae exorcizandæ. Item curiosi, mundani & vani homines, in quantum fieri poterit, exemplo Saluatoris Marc. 7. & 8. & Luc. 8.

Exorcista nihil faciat sine testibus siue in Ecclesia, siue in domo priuata, procurabitque vt adsint viri graues & pij, præsertim clerici, Sacerdotes, vel Religiosi, si haberi possint, qui non solum erunt testes sacrarum actionum, sed etiam ipsum iuuabunt orationibus & piis desideriis.

Caueat vniquam ob quemcumque respectum vel causam solus cum sola energumena manere, vel illam exorcizare, etiam si foret senex & decrepita ætate.

An autem dæmoniaci sint publicè & apertis ianuis exorcizandi, vel ianuis clausis, committitur discretioni & prudentiæ Exorcistæ, eò quòd huius decisio sæpè dependeat

ex

ex variis circumstantiis locorum, personarum, & aliarum rerum. Cessantibus incommodis, posset, & forsitan deberet fieri publicè apertis ianuis, exemplo Saluatoris & Ecclesiæ, quæ omnes suas functiones sacras palàm peragit; eoque magis, quòd exorcismus sit actus Ordinis; deinde, quòd multa bona spiritualia inde fidelibus proueniant; fides roboretur, Dei misericordia & potestas manifestetur, peccatores ad pœnitentiam & compunctionem moueantur, & multæ aliæ virtutes animis hominum ingenerentur.

Licet hoc charitatis officium possit & debeat omni tempore fieri, necessitate vel charitate proximi afflicti id exigente; magis tamen opportunum est matutinum, post celebratum Sacrum: & quò dies sunt celebriores, eò frequentius & magis huic operi insistendum.

INSTRVCTIO VI.

De qualitatibus exorcizandorum, & debita preparatione eorundem.

QUONIAM Exorcista fungitur officio Medici, cuius est non solùm applicare pharmaca & medicinas, sed etiam amouere & tollere noxia & impediētia. facilem cura-

22 MANVALIS EXORCISMORVM
tionē; non solum debet esse sollicitus vt en-
gumenus vel maleficiatus exorcizetur, sed
etiam debet tollere & remouere ea omnia
quæ suo fini possunt obstaculum seu remo-
ram iniicere. Proinde aduigilabit vt afflicti
non recurrant ad impostores, ariolos, ma-
gos, & similes impios homines, néve illis vl-
trò fortè se ingerentibus aliquam fidem ad-
hibeant, vel audiant, nec malum suum fa-
cilè vicinis vel aliis notis vel ignotis impu-
tent; sed illos monebunt & docebunt exem-
plo Iob & aliorum Sanctorum, mala sua de
manu Dei suscipere, suisque peccatis adscri-
bere, & vt totaliter se resignent in volunta-
tem misericordissimi Dei, ad patienter fe-
rendam istam afflictionem: eiusque bonitati
humiliter supplicent, vt non velit secun-
dum peccata & iniquitates ipsorum ipsis re-
tribuere: & vt ipsos liberare dignetur à ma-
lis, si animarum ipsorum saluti expediat.
Adhortabitur ne animum despondeant, et-
iam si statim non exaudiantur, & licitis Ec-
clesiæ remediis non iuuentur; sed vt instent
orationibus, eleemosynis, & aliis piis operi-
bus, cogitantes Deum Opt. Max. etiam ea
quæ concedere cupit, sæpè differre ad tem-
pus, tum vt desideria dilatione crescāt, tum
etiam ne citò datum vilescat. Studebit quo-
tidie in illis excitare veram & viuam fidem,
hoc

hoc est charitate Dei & proximi vallatam, præbente nobis hoc scutum & lorica hâc Apostolo ad Ephes. 6. & prioris ad Theff. 5. de quibus plura apud Cassianum & Cypr. ad Fortun. de Exhort. martt. Lactant. lib. 2. c. 15. Nazianz. Orat. in Cyp. & alios Patres.

Si afflicti non forent baptizati, vel ritibus Ecclesiæ ante Baptismum adhiberi solitis non exorcizati, curabit Exorcista ante omnia vt iuxta ritum Ecclesiæ baptizentur, vel vt dictæ cærimonix omixsæ vel neglectæ suppleantur. Si dubium sit vtrùm sint baptizati nec ne, baptizentur sub conditione; non tamen id fiat, nisi dubium sit probabile: nam ex leuibus coniecturis id putare non sufficit, ne ad conditionale quidem lauacrum, verbi gratia, tantùm quia quis noctu somnians ambulat, vel quia maleficiatus est, non concurrentibus aliis probabilibus indiciis veri dubij. De huius remedij efficacia vide Ecclesiasticas historias, & D. Antonin. Hist. part. 2. tit. 20. cap. 8.

Si non sint confirmati, debent confirmari. Vim huius Sacramenti in deiiciendis satanæ machinationibus docet Lact. lib. 4. Diuin. instit. cap. 27. Nazianz. Orat. 1. in Iulianum.

Adhibebunt frequentem, deuotam, & dolorosam suorum peccatorum confessionem.

24 MANVALIS EXORCISMORVM
nem. Consulatur Beda in 8. cap. Lucae,
Ioan. Diac. lib. 1. Vitae S. Gregor. cap. 11. 12.
& 13. & alij.

Sument frequenter cum maxima qua
poterunt animi deuotione & humilitate
sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.
De quo remedio vetusti Patres multa: Cass.
coll. 7. c. 30. & 22. cap. 6. Prosper de Dimi-
dio temp. cap. 6. in Vita D. Bern. lib. 2. c. 3.
Metaph. in Vita S. Auxentij 14. Febr. In dae-
moniacis tamen habebitur ratio lucidi in-
terualli. Non solum daemon timet ipsam
actuaalem perceptionem sanctissimi Sacra-
menti, sed etiam ipsius praesentiam. Proinde
(vt supra dictum est) licitum, imò expe-
diens erit vt exorcismus fiat in praesentia
Venerabilis Sacramenti, modò id decenter
& reuerenter fieri possit absque dispendio
honoris tanto Sacramento debiti.

Supradictis remediis adiungendum sa-
crum Missae officium, quod quotidie, si fie-
ri possit, afflicti audient, imò saepe pro se of-
ferri curabunt in quantum poterunt. De
hoc remedio Augustinus lib. 22. de Ciuit.
Dei c. 8. Metaph. in Vita S. Theod. in April.

Poterit etiam Exorcista yti oleo commu-
ni precibus Ecclesiae à se vel alio Sacerdote
benedicto. Exempla huius refert Beda in c. 8.
Lucae, Metaphr. in Vita S. Theod. mense
Ianuar.

Iantiar. & S. Parthenij 7. Februarij, & Auxentij 14. Febr. Sed cauebit à superstitionis vnctionibus & scandalosis, præcipuè circa feminas.

Excitabit afflictos etiam ad orationis assiduitatem & feruentiam, adiunctis ieiuniis & aliis pietatis & pœnitentiæ operibus, præcipuè eleëmofynis, exemplo & auctoritate Scripturæ sacræ, Matth. 17. & 20. Marc. 9. Tobiaë 6. & 8. & alibi. Nec contenti erunt propriis & priuatorum precibus; sed curabunt sibi applicari preces publicas Ecclesiæ. Nec ipse Exorcista hac in parte deerit officio suo, sed sedulò pro suis afflictis orabit, sacrificium Missæ offeret, & exorcismos Ecclesiæ sæpiùs applicabit, quorum vsum semper fuisse in Ecclesia constat ex antiquis Patribus, & ex eo quòd in Ecclesia sit Exorcistarum Ordo.

Prætereà assuescent prædicti afflicti reuenter in corde & ore habere nomen I E S V & M A R I Æ: petere opitulationem à beatissima Virgine, Angelo Custode, & à Patronis in quos vel in quas peculiarem solèt habere deuotionem, & ab omnibus Sanctis. Item adhibere & facere quasi ad omne opus signaculum S. Crucis, cuius maxima vis contra diabolum & opera eius, vt patet ex S. Gregorio lib. 3. Dial. c. 7. Chrysofomo

26 MANVALIS EXORCISMORVM
Homil. 8. in Epist. ad Coloff. Lactant. lib. 4.
cap. 27. Cypriano Serm. de Passione Domi-
ni; ex Vita S. Bernardi lib. 2. cap. 2. & 3. &
aliis passim Patribus.

In magno honore habebunt & secum
deferent Reliquias Sanctorum, Agnos Dei,
& alias res sacras ex consilio Exorcistæ vel
Confessarij. De efficacia huius remedij vi-
de D. Hieronymum contra Vigilantium,
Chrysoptomũ in Vita S. Babylæ. Hic cauend-
um à vanis & superstitionis cærimoniis, de
quibus infrà. Habebunt semper in domo
Aquam benedictam, eaque sæpius vtentur.
Alexander I. in Epist. 1. Epiphanius contra
Hæres. 30. Theod. lib. 5. Hist. cap. 21. Ad
idem conducit aqua Baptismalis, solita con-
secrari in Vigiliis Paschæ & Pentecostes.

Palmis de more Ecclesiæ benedictis do-
mos suas ornabunt: cereum benedictum
habebunt, eumque accendent & apud se
ponent quando dæmon nimium insolescit
vel molestior erit: sale & pane benedicto
aliisque rebus benedictis libenter vtentur.

Præter piam Reliquiarum gestationem
& Agni Dei, antiquitas etiam permittit &
suadet religiosam gestationem sacrorum
amuletorum, vtpote Symboli Apostolo-
rum, Inij Euangelij S. Ioannis, vel particu-
læ Psalmi alicuius. Sed quia hoc remedium
facile

facile vitiatur aliqua circumstantia mala, ut sit licitum requirit D. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 4. duas condiciones; Prima est, ut piis verbis nihil admisceatur superstitiosi, videlicet ut non ponatur vis in figura, modo scribendi, vel aliis similibus nihil ad rem spectantibus. Secunda est, ut recta sit intentio gerentis, qua spes omnis dirigitur in Deum, à quo solo effectus sub eius beneplacito expectetur, & illa verba sacra ferant cum illa intentione & in illo sensu sicut Ecclesia permittit. Proinde quia facile in huiusmodi hallucinantur imperitiores, his prætermittis alia remedia suggeret Exorcista, vel curam animarum gerens: aut ita illos instruet, ut nullum timeatur periculum superstitutionis; & prohibebit ne gestent aliqua huiusmodi inuolucra seu breuia inconsulto Confessario, vel Exorcista, vel Pastore, illisque prius tradant examinanda, vtrum non habeant circumstantias parergas tamquam necessarias; qui etiam inquirent de intentione & mente gestantium, & si inutile inueniant adhibitum tamquam necessarium, vel si deprehendant expectari effectum vanum, vel alium à Deo vel ab Ecclesia non intentum, reiicient huiusmodi tamquam superstitiosa. multò magis illis prohibebunt gestare inuenta à superstitiosis & impiis hominibus, qualia

28 MANVALIS EXORCISMORVM
qualia sunt imagines & characteres Astro-
nomici sub certa constellatione fabricati, &
similia vana & noxia, per quæ varios mor-
bos & afflictiones volunt curare: illosque
docebunt quàm hæc sint perniciofa animæ
& corpori, licet aliquando & sæpè multi per
huiusmodi videantur curari à suis malis, Deo
id permittente diabolo, in vindictam super-
stitionis & incredulitatis ipsorum, eò quòd
relictis veris remediis confugiant ad inuen-
ta diabolica, quibus ordinariè etiam si vi-
deantur iuuari, deterius in anima, & sæpiùs
etiam in corporis sanitate contingit, iuxta
illud Prophetæ Amos cap. 5. Si fugiat vir à
facie leonis, occurret ei vrsus: & si ingre-
diatur domum, mordebit eum coluber.
Sciant longè melius esse Deo propitio ægro-
tare, vel aliam quamuis afflictionem pati,
quàm Deo irato feliciter agere, & tandem
proiici in ignem æternum, exemplo diuitis
epulonis, Lucæ 16.

Non permittet quoque afflictis vt male-
ficium tollant per aliud maleficium, etiam
si malefica quæ malum intulit, vel alius
quispiam vtrò se ad id offerret; memor do-
ctrinæ Apostoli ad Romanos, non esse fa-
cienda mala vt eueniant bona. Possunt ta-
men tam ipsi maleficiati quàm curam eo-
rum gerentes tollere & destruere signa ma-
lefi.

leficij, non solum vbi inuenta casu fuerint, sed etiam eo fine possunt ex professo quaeri: imò petere licet à malefica vbi sint posita, illamque inducere & cogere vt ea ostendat vel amoueat, modò moraliter certi sint, quòd non vterur alio maleficio, vel aliqua alia superstitione, & scandalum cesset.

Si afflicti aliqua vota Deo fecerint, procurabit Exorcista vt ea persoluantur quancocyùs. Poterunt etiam de nouo discretè cum consilio Confessarij vel Exorcistæ Deo aliquod votum emittere, peregrinationem sanctam suscipere, & alia pià pœnalia opera præstare pro cuiusque statu & conditione: constat enim ex Historiis Ecclesiasticis, huiusmodi sæpiùs profuisse.

INSTRVCTIO VII.

De aliis quibusdam, in quibus adhuc instruendi sunt energumeni vel maleficiati.

PRÆTER prædicta, studebit Exorcista suos afflictos auertere à vanitatibus huius sæculi, vt eius pompis & illecebris renuntient, & fugiant consortium hominum peccatis & vanitatibus deditorum, maxime superstitionis & suspectorum commercij cum dæmone. Procurabit illis econtrà conuersationem & familiaritatem bonorum & pio-

pio-

30 MANVALIS EXORCISMORVM
piorum. Docebit illos contemnere minas &
conatus diaboli in nomine Domini I E S V
Christi, memores illius Isaiaë cap. 8. Timo-
rem eius ne timeatis, neque paueatis: Do-
minum exercituum ipsum sanctificate, ipse
pauor vester, & ipse terror vester.

Quando energumenus aliquis vel male-
ficiatus erit exorcizandus, deponet omnem
superfluum ornatum, & maxima qua pote-
rit humilitate accedet ministrum Christi.
Interim dum adiuratur, habebit animum
compositum & vacuum mundanis curis &
occupationibus, & attentè cum Sacerdote
orabit, vel aliquid de Vita & Passione Do-
mini meditabitur.

Si Deus illos exaudiat, & à suis afflictio-
nibus liberet, grati erunt Deo non solum
sacrificio labiorum, sed vitæ & conscientiaë
puritate, se à peccatorum maculis conser-
uando, ne alioqui deterius postmodum ip-
sis contingat, prout docet Christus Domi-
nus Lucaë 11.

Si non exaudiat Dominus, consolabi-
tur afflictum Sacerdos, & ostendet beni-
gnissimū Deum hoc ita disponere pro ma-
iore ipsius salute, dicente Apostolo, Virtus in
infirmirate perficitur; & dicet cum B. Iob,
Si bona de manu Dei accepimus, cur non
& mala sustineamus? sicut Domino placuit
ita

ita factum est; sit nomen Domini benedictum. Interim cum omni paciētia exspectet liberationem, si non in hac vita, saltem in futura, cum retributione magna nimis.

Non tamen Exorcista huiusmodi afflictum statim deseret, sed præter bona monita & consolationem, inquiret diligenter si aliunde non sit aliquod impedimentum quò minùs fortè à Deo exaudiantur:

Primò disquiret non solùm, utrùm afflictus habeat firmam & viuam fidem & fiduciam in Deum, sed utrùm etiam ipsius amici & curam eius gerentes cum tali confidentia & fide illum adducant ad Deum & ministrum eius, sicut Christus requirit Matthæi 17. & Marci 9.

Secundò, utrùm in afflictò nihil lateat, non solùm peccatum aliquod occultum, sed vel nimius affectus ad præterita peccata, vel res terrenas.

Tertiò, examinabit se ipsum Exorcista, utrùm omni ex parte satisfecerit conscientia & officio suo, & omnia perfecit & adhibuerit quæ possunt aut debent in simili opere adhiberi. Quo fine sæpiùs & maturè reuidebit instructiones & documenta in hoc Manuali præscripta, & negotium cum doctis & piis Theologis & in hoc genere versatis conferet.

Tan-

Tandem cogitabit, vtrum fortè Deus non cupiat alterius Exorcistæ virtutem notificari; proinde aliquando in huiusmodi casu expediet afflictum remittere ad alium pietate & potestate exorcizandi præditum; vel similes in adiutorium sibi assumet. Quòd si, postquam omnia tentauerit, res ex voto non succedat, committet in patientia occulto iudicio Dei, recepturus nihilominus mercedem post hanc vitam.

INSTRUCTIO VIII.

*De variis technis demonum prænoscendis
& præcauendis.*

EXORCISTA magna cum diligentia & prudentia aduertet & obseruabit omnes & singulas insidias quibus dæmones vtuntur, quando per preces & exorcismos Ecclesiæ vrgentur. Impediet ne ipsum vel circumstantes in peccatum aliquod pertrahant, quod semper conantur: ne ipsorum deuotionem & attentionem per nugas & leuia & obscœna verba, vel per nimios clamores aliaque similia impediunt vel perturbent. Proinde quamprimùm suppresserit illos Exorcista in virtute Dei, & illis imperabit in nomine I E S V confidenter, vt se contineant & conticescant.

Non-

Nonnumquam, cùm feminæ exorcizantur, fingunt se egrè ferre quòd Sacerdos tangat vultum earum, & se simili attractu cruciari simulant, vt tanto sæpiùs Sacerdotem inducant ad tangendum, & hac ratione Sacerdoti vel exorcizandæ ingerant voluptuosa incitamenta. Sit itaq; Exorcista oculis manibusq; & omnibus motibus pudicissimus & cautus, memor spiritus immundos non tam tactum quàm ipsum signum S. Crucis pertimescere. Quòd si aliquando necessariò tangenda sit energumena, illud faciet breuiter & perfunctoriè, mente eleuata ad Deum.

Statim ac se malignus spiritus manifesta-uerit in corpore oblesso, interrogabit illum Exorcista breuiter & categoricè quæ necessariò erunt interroganda, illumq; coget ad respondendum, nec facilè ceder, etiamsi dæmonium reluctetur, sed iteratis adiurationibus & exorcismis instabit, donec extorserit, Deo fauente, responsum. In his obseruabit ea, quæ latius dicta sunt superiùs in 4. Instructione.

Cauebit dictis dæmonis statim adhibere fidem, qui pater mendacij in Scripturis dicitur; sed prudenter perpendet omnia & singula, inuocando gratiam Spiritus sancti pro vera discretionem spirituum.

C

Quan-

Quantum in ipso erit, Exorcista nullam dabit requiem dæmoni inter exorcizandum, sed continuè illum vexabit & cruciabit orationibus, lectionibus, & exorcismis; multò minùs cum eodem aliquid extranei tractabit confabulando, vel aliquid aliud ad rem nihil faciens agendo, ne ei interim det tempus reassumendi vires. Considerabit se habere negotium cum capitali & infestissimo hoste.

I N S T R U C T I O IX.

De iis quæ debet Exorcista obseruare circa & post egressum demonum è corporibus obsessis.

QUANDO Exorcista aduertet dæmonem esse deuictum, & iam eiiciendum Dei potentia & iussu è corpore obsesso, præcipiet eidem ne egrediendo lædat corpus creatum à Deo, sed illud sanum, liberum, ac expeditum ad seruiendum & glorificandum Deo relinquat. Coget dæmonem dare aliquod signū recessus sui cum tota sua damnata societate. Solent enim aliquando aliqui eorum remanere in corpore, & latere aliquo tempore absque vlla vexatione, vt sic decipiant ministrum Dei; proinde Exorcista non erit securus, nisi liquidè illi constet afflictum planè liberatum. Vnde non statim

tim illum deseret, vel sibi relinquet, nec etiam postquam liberatus fuerit, memor moniti Saluatoris Lucæ 11. quantas insidias assumpto auxilio ponat, vt vnde cum ignominia eiectus est, denuò possit redire, noscés tunc posteriora fore peiora prioribus. hinc est quòd liberati maiores sæpè sentiant tentationes postquam liberati fuerint quàm antè. Quare Exorcista vel curam animarum gerens adiuuabit liberatum instruendo & monendo vt vigilet in silentio & orationibus, vt se exerceat in bonis operibus, frequentissimè confiteatur & communice, castè & pudicè viuat, & in omnibus tentationibus & difficultatibus suis, cum discretionè & ædificatione, semper ad prudentem Confessarium habeat recursum.

Solent subinde etiam dæmones, postquã coacti sint egredi, persuadere, personam liberatam numquam fuisse obsessam, vt hac ratione imminuant gloriam Dei, eneruent efficaciam exorcismorum Ecclesiæ, ingerât varias dubitationes & incredulitatès, denique vt reddant liberatum cum suis ingratum erga Deum & ministrum eius. Contra has insidias Exorcista habebit in promptis salutaria monita & instructiones, quibus excitabit tam liberatum quàm alios ad gratiarum actionem, & deteget insidias diaboli,

36 MANVAL. EXORCISM. PARS I.
li, qui confusus virtute Christi, conatur de-
primere eius potentiam & maiestatem.

Egrediuntur autem dæmones è corpori-
bus obsessis aliquando per os in modum
flammæ ignis: aliquando per modum ven-
ti: aliquando in forma apum vel formica-
rum. Aliquando exeunt per aures, & fen-
tiunt energumeni discessum à stomacho, à
corde, & ab omnibus partibus corporis sen-
sibiliter. Subinde etiam egrediuntur per se-
cessum in similitudinem pilæ quæ in gyrum
voluitur, & è corpore eiicitur. Etiam per
nares egrediuntur in similitudinem guttæ
sanguinis defluentis, aliisque variis modis &
signis quæ prudens Exorcista facile aduer-
tet. quibus tamen non statim ita credet,
quin exorcismis & aliis Ecclesiæ remediis
experietur vtrum non fallat & mentiatur
fraudulentus hostis; & diligenter observa-
bit, vtrum in energumeno nulla amplius
deprehendantur signa veri obsessi.

M A-